



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

2. Quomodò sedeat ad dexteram Dei patris omnipotentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

mors, non peccatum, nec sathan: sed tanquam victor & dominator omnium horum ascendit. Nulla creatura cum impedire potuit, non tamen sic ascendit, quod non velit esse nobiscum, quia dicit Matth. ultimo: Ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi & cæt, sed præsentiam corporealem cum lineamentis suis & visibilem formam subtraxit, vt in cælum post eum æstuaremus, & mundi præsentia gaudia paruifaceremus, vt in cælo accipere possemus quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, sicut ait Esai. 64.

Secundò, quomodò sedeat ad dexteram patris sui, 2. David propheta Psal. 109. declarauit inquit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, id est pater dixit filio incarnato in ascensione post victoriam mortis & peccati ac sathanæ, sede, id est, Esto rex & Dominus super omnia, sicut ego. Igitur sedere ad dexteram patris, est omnem potestatem habere in cælo & in terra: & sic Christus nunc est Dominus & rex omnipotens constitutus à patre, cui omnes creature in cælo & in terra subiectæ sunt, angeli, homines, demones, visibilia & inuisibilia. Dexteræ in scripturis potentiam significat: & hanc sententiam seu auctoritatem Dauidis Christus de se fore intelligendam, quod esset Deus, allegat Pharisæis Matth. 22. & Apostolus ad Hebr. 1. dicit: Nulli angelorum, sed Christo dictum soli, sede à dextris meis. Sic igitur hodiè factus est à DEO patre Dominus super omnia Christus, hoc est, iuxta eius humanitatem: Est enim Deus & Dominus omnium ab æterno, sed secundum humanitatem & naturam quam hodiè exaltauit: & sic secundum illam hodiè accepit nomen, quod est super omne nomē, Regis, Domini dominantium & cæt. & vt in hoc nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus IESVS est in gloria DEI patris, id est,

Y 2 æqualem

æqualem cum Deo habet potestatem & gloriam: & hæc est magna consolatio nostra, quoniam Christus Dominus est omnium peccati & car. vt etiam si peccauerimus, quoniam ipse Deus noster, ergò remittet peccatibus: si mors vitam rapit, ipse restituet, quoniam ipse vicit mortem & peccatum: si sathan nos seducit, ipse potèrior eo est, & iterum de potestate eius rapiet. Et quoniam talem Dominum habemus, quid nobis nocere poterit? si ille p nobis, quis cõtra nos? Roman. 8. & sic inquit Dauid Psal 67. Ascendisti in altum, captiuam duxisti captiuitatem. Quæ verba sic exponit Augustinus, captiuasti captiuitatem, id est, viciisti mortem, sathanam, infernum, peccatum, quos illos in quibus regnabant, tenebant captiuos, nempe miseros mortales: vel homines qui sub diabolo captiuu tenebantur, captiuasti, id est, liberasti, vnde ad Colossen. 2. inquit Apostolus, Christus expoliavit principatus ac potestates, id est, dæmones vicit per semetipsum, & 1. Petr. 3. Iesus Christus est ad dexteram Dei, deglutiens mortem, vt vitæ æternæ efficeremur heredes, profectus in cœlũ, subiectus sibi angelis & potestatibus & virtutibus. Sic triumphator hodiè cœlos ascendit Christus Dominus sathanz, peccati & mortis.

3. Tertiò, non sic æstimandum est, quòd Christus ita ascenderit in cœlum, vt nunc ibi sedeat ociosus ad dexteram patris in summa gloria & lætitia, sed adhuc vigilat, operatur op^o nostræ salutis, exaudit preces nostras, quatenus perfectè in nobis compleatur. Facit igitur hoc in cœlis, quod rex solet in regno suo, aut quod sacerdos in Ecclesia. Rex enim regit & sollicitus est pro subditis suis, defendit, tuetur ac liberat: donat etiam dona suis cultoribus, & humiliantes coram se extollit. Sic Christus rex noster est, qui promisit se non relicturum nos orphanos, sed missurum spiritum paracletum, quem & donauit & donat quotidie